

Logica artificialis simpliciter est necessaria, ad integram quamcunq; disciplinam ordinario modo, etiam imperfectè comparandam; item ad refutandos Sophistas; licet non sit necessaria ad unum vel alterum principium intelligendum, vel etiam conclusionem principiis valde affinem. Nam principia & conclusiones principiis intimè conjunctas naturæ lumine assequimur. At conclusiones à principiis remotiores, sine Dialecticâ nullo modo assequi possumus. Probabimus singula. Est absolutè necessaria Dialectica ad comparandam integram disciplinam; quia præscribit methodum. Est necessaria si velis refutare sophistas; quia docet discernere verum à falso per instrumenta convenientia. Est quoque necessaria, si velis conclusiones remotiores necesse è principiis; quia suppeditat normas veritatis & consequentiæ. Quid multis? *Nesciens Logicam, etsi scire, aliquid videatur, nescit tamen, cum rationem sui sciti nesciat*, ut ait *Albertus Magnus capit. 3. predicabilium*. His adde quod *Augustinus lib. 2. de ordine cap. 13.* habet. Dialecticam ibi vocat disciplinam disciplinarum, addens: *Hæc docet docere, hæc docet discere, in hæc seipsam ratio demonstrat, atq; aperit, quæ sit, quid velit, quid valeat, scit scire, sola facientes facere, non solum vult, sed etiam potest*. Paucis hisce verbis Augustinus eleganter ostendit, quid sit modus disferendi, videl. via disferendi, quam insistant postea alii artifices. Nec enim res nascuntur in Logicis, sed modus cognoscendi res ibi traditur. *Arist. 2. Metaph. cap. 3. Fons. 2. Metaph. cap. 1. q. 2. s. 2. Suarez disput. 1. de nat. Metaph. sect. 3. cont. 35. 36. Goclen. in exerc. 1. Scal. analysi*. Sic verbi gratiâ, Logicus non definit, sed vel Metaphysicus, vel Physicus Logicè. Nam sicut Logica non fabricat instrumenta sua: ita nec iisdem ipsa, vel etiam Logicus utitur: sed Philosophus, sed Medicus, sed Jctus, sed Theologus. *Zabar. l. 2. de nat. Log. c. 7.* Hæc enim est suppellex cunctis apparatus scientiis & facultatibus. Atq; ab hæc instrumentorum præbitione instrumentalis disciplina nuncupata est. Sed nullum instrumentum efficiens purum est. Ideò principali agente indiget. Principale illud agens, Philosophus est, vel aliùs facultatis studiosus. Atque hoc sibi volunt dicta illa in Scholis celebrata: *Logica est nihil, & omnia; Logica instrumenta à Logicâ non sunt parabilia,*